

agendum sit, quaque via et ratione procedendum, ut ad id, quod intenditur, possit pervenire. Princeps vel domesticis vel esternis consiliis vult fidem adhibere, si cum externis cohaeret iam et nunc satis superque cum principibus deliberatum fuit et ab iis modus procedendi in negotio ita clare praescriptus, ut errari difficile possit. Fuit quoque consultum cum Summo Pontifice nec fuit, qui non iudicaverit negotium recte et ex sententia confici posse dummodo, Ser^{tas} S. pie aggrediatur et viriliter pergat, et S. S^{tas} non consilio solum, sed ope etiam auxilio ita prospexit in praesenti, et etiam pollicita est in posterum, se quotiescunque necesse fuerit,⁴⁾ omnibus Ser^{tis} S. rebus praesto futuram, ut non temere sperandum sit, quin negotium eum, quem optamus exitum habiturum sit, si domesticis quoque consiliariis vult adhaerere, ipsi licet ea fuerint mente et sententia, ut priusque collocaretur praesidium tentaretur an vellent salutaribus S. S^{tis} monitis morem gerere, omnes tamen iugiter senserunt, si principis decreto publicando heretici non acquiescerent, Ser^{tem} S. debere omnino praesidium ponere statuumque facere separationem.

Quare ex iis, quae supra commemorata sunt, facile colligitur principem in conscientia tutum esse non posse, quo minus si forte evenerit, ut heretici non obtemperent, ipse tunc faciat separationem praesidiumque ponat, et hoc principi obscurum esse non debet. Atque a nobis ita dictum volumus, ne si aliquis, ut non temere timendum est, in religione claudicans nova proponeret deliberataque et S. S^{ti} per literas sancte promissa pervertere atque dissolvere conaretur negotiumque in longinquum vel potius in perpetuum producere,⁵⁾ eidem principis aures ullo modo patere debeant et hac una in re potissimum omnis difficultas et discrimen consistit, nam illud nihil aliud esset quam quaerere excusationes vanas in peccatis, et principes et praecipue S. S^{tas} facile perciperent, quod una sublata difficultate statim altera emergit non zelo Dei, sed tantum ut nihil in negotio perficiatur. Veruntamen cum ea sit pietas Ser^{tis} S. ea in catholicam religionem animi propensio, qua maior desiderari non potest, nemini dubium est, quin omnia alacri constantique animo effectura sit, cum incongruum sit, atque indecorum principes per legatos consulere, et mox eorum auditum salutare consilium propter pravam privatorum hominum opinionem contemnere.

⁴⁾ *Vgl. Nr. 1, Anm. 26, und Nr. 93, S. 258.*

⁵⁾ *Diesbezügliche Schreiben Erzherzog Karls von 1578 nach der Brucker Pazifikation und von 1581 nach der Suspendierung des Religionsdekretes (Arch. Vat. Principi 36, f. 153^r; Loserth, FRA II/50, S. 2—3 und 241—243).*